



SUPREMO TRIBUNALE
DELLA
SEGNATURA APOSTOLICA

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO

14 March 2023

**Prot. N. 55722/21 CA
ERNAKULAMEN.-ANGAMALIEN.**

Iurium

(Rev.dus D.nus V. Perumayan et alii – Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus)

Your Grace,

Please find attached a copy of this Supreme Tribunal's decree of 31 January 2023.

Taking this occasion to express my respect and esteem, I remain

Sincerely Yours in Christ,



+ *Andrea Ripa*

+ Andrea RIPA
Secretary

His Grace
Mons. Andrews THAZHATH
Apostolic Administrator "Sede Plena"
for the Archeparchy of Ernakulam-Angamaly
Major Archbishop's House
P.O. Box 2580, Kochi-682031
Kerala - INDIA

(with one attachment)



SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO

Prot. n. 55722/21 CA
ERNAKULAMEN.-ANGAMALIEN.
Iurium
(Rev.dus V. Perumayan et alii – Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus)
Cf. prot. n. 55945/22 VAR

DECRETUM

Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus die 21 iunii 2021 Exc.mo Vicario Archieparchiae Ernakulamensis-Angamaliensis dispensationem a consensu Collegii Consultorum et Consilii de rebus oeconomicis, can. 1036, § 1, n. 1 et ab art. 214 iuris particularis syro-malabarensis requisito, concessit, ita ut a Synodo permanente proposita venditio duorum fundorum etiam in casu defectus consensus praefatorum consiliorum peragi queat.

Die 1 iulii 2021 duodecim membra Collegii consultorum et quattuordecim membra Consilii de rebus oeconomicis a Congregatione revocationem decisionis petierunt et die 19 augusti 2021 adversus silentium ad H.S.T. provocaverunt.

Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus dein litteris diei 24 septembris 2021 decisionem diei 21 iunii 2021 (prot. n. 29/2021) eiusdem anni nova decisione subrogavit et dispensationem revocavit.

Exc.mus H.S.T. Secretarius die 24 novembris 2021 ad normam art. 78, § 3 *Legis propriae* H.S.T. litem finitam declaravit.

Epistola diei 18 ianuarii 2022 Recurrentes a Congregatione responsionem ad novem argumenta in remonstratione diei 30 iunii 2021 contra epistolam diei 21 iunii 2021 adducta expetierunt, quae litteris diei 24 septembris 2021 haud pertractavisset.

Die 30 maii 2022 Recurrentes, adducto can. 1518, iterum a Congregatione responsionem ad instantiam diei 18 ianuarii 2022 expostulaverunt.

Die 14 iulii 2022 Recurrentes denuo ad H.S.T. provocaverunt contententes epistolam Congregationis diei 21 iunii 2021 huc obiectum recursus constituere: "the letter from the Congregation for the Oriental Churches, Prot. N. 29/2021".

Die 11 novembris 2022 Rev.dus V. Perumayan et ceteri Recurrentes notitias de statu v.d. "recourse" diei 14 iulii 2022 exquiverunt.



Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Attento quod:

- Recurrentes die 14 iulii 2022 denuo decisionem Congregationis diei 21 iunii 2021 relate ad statuitiones, quae litteris diei 24 septembris 2021 a Congregatione revocatae non fuerunt, utpote obiectum recursus indicaverunt;
- Praefatae statuitiones iam obiectum recursus diei 19 augusti 2021 ad H.S.T. directum constituebant, relate ad quem Exc.mus H.S.T. Secretarius die 22 novembris 2021 litem finitam declaravit;
- Decretum litis finitae die 24 novembris 2021 ad omnes iuris effectus (cf. art. 26, § 2 *Legis propriae* H.S.T.) Cl.mo Aemilio Artiglieri, qui die 11 novembris 2021 mandatum Recurrentium exhibuerat, notificatum est;
- Nec Recurrentes nec Cl.mus eorum Patronus revocationem praefati decreti intra decem dies (cf. art. 28, § 1 *Legis propriae* H.S.T.), immo usque ad hodiernum diem, petierunt, quam ob rem recursus diei 19 augusti 2021 ad H.S.T. (prot. n. 55722/21 CA) non amplius reaperiri potest.

Et tamquam subordinate, animadverso quod:

- Recurrentes intra terminum art. 74, § 2 statutum novam decisionem Congregationis diei 24 septembris 2021 haud impugnaverunt;
- Nec v.d. *recourse* diei 14 iulii 2022 utpote recursus adversus silentium Congregationis circa cetera argumenta in remonstratione diei 1 iulii 2021 exposita, sed in litteris diei 24 septembris 2021 haud pertractata considerari potest, quia termini, can. 1518 statuti in instantiis dierum 18 ianuarii et 30 maii 2022 ad Congregationem servati non sunt;
- Congregatio die 24 septembris 2021 ad id respondit, quod membra collegii consultorum et consilii pro rebus oeconomicis tangit, invitando Exc.mum Vicarium Archiepiscopi Maioris pro Archidioecesi Ernakulamensi-Angamaliensi "a procedere in conformità al combinato disposto di cui al can. 1036 del vigente Codice e art. 214 del diritto particolare della Chiesa Siro-Malabarese", quam ob rem de gravamine non constare videtur;

Salva facultate Recurrentium, si et quatenus, adversus futuram decisionem Dicasterii pro Ecclesiis Orientalibus ad hoc Supremum Tribunal recurrenti;

Viso voto Rev.di Promotoris iustitiae deputati,

decrevit:



In decisis et non amplius proponi.

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 31
ianuarii 2023.

D. Carol. Mamberti



Dominicus Card. MAMBERTI
Praefectus

+ *Andreas Ripa*
+ Andreas RIPA
Episcopus tit. Caeretanus
Secretarius

CONCORDAT CUM ORIGINALI
die *14 martii 2023*

Mons. Mario Leite de Oliveira
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis
Moderator Cancellariae